



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XX. Eloquentia solutæ orationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Hac exercitatione nondum perfectus est poeta, aut orator futurus, quamvis ingenio valeat. Nam & multa præcepta cognitu necessaria desunt, & maxime exercitatio, quæ longius tempus requirit, deinde crebro in nostris Gymnasis ætas, nondum difficilioribus matura laboribus. Sequitur itaque altera schola, quam Rhetoricam dicimus.

CAPUT XX.

Eloquentia soluta orationis.

S. 1. Hanc proprie eloquentiam vocare vsus confuevit. Quam alii definiunt, copiose loquentem sapientiam, alii, artem bene dicendi, Aristot. lib. 1. Rhet. c. 2. "Ἐστὶ δὲ ῥητορικὴ, διὰ τῆς ἧς ἐκαστος ἐκαστὸν τὸ ἐνδεχόμενον πειθάνει. Sit igitur Rhetoricæ facultas, quæ quid in re quaque ad persuadendum valeat, contempletur. Hoc enim nulli alteri arti proprium est. Quanquam enim, & qui fine arte loquuntur, & qui dialecticæ, ac philosophicæ agunt persuadere conentur; Rhetorica tamē persuadendi rationem in omnibus tradit, neq; enim Dialecticæ, neq; medicinæ, neq; iurisprudentiæ sine eloquentiâ, perfecte, quicquam docuerit. Ad eloquentiam nemo pertingere potest, nisi iam ante emendate loqui affluerit; ἵνα δὲ ἀρχὴ τῆς λέξεως, τὸ ἐλάνθῃ. Principium elocutionis est, recte loqui Græcè, ait Aristoteles, de patria eloquentia disputans. Perinde enim facit, qui orationi vitiosa, eloquentiæ schemata atreuerit, quod ille, qui pannofacem, & lacera palli, aurea segmēta, & gemmeos Maendros affuerit: Nam & ornamenta dedecorat, & inopiam ex vicina copia facit conspectiorem, dum contraria finitima se mutuo manifestant. Et quod est caput, monstrum ridendum efficit. Irum in purpura, soleas aureas, luto inquinatas, matulam ē gemma.

Hinc mentem mihi venit, multorum parentum præproperæ, in filiorū educatione, festinationis; qui nondum loquentes, fieri oratores iubent. Hinc multorum Theologorum, Iurisprutorum, Medicorum, Philosophorum iniquatissimæ enunciationis libri, phrasæ, & sententiæ ridiculæ affectatas interdum continere cernimus. Fieri enim solet, ut infantissimus quisque, maxime eloquentiam affectet. Rara omnino res eloquentia; Testis Tullius lib. 1. de orat. Quibus de causis, quis non iure miretur, ex omni memoria atatum, temporum, ciuitatum, tam exiguum oratorum numerum inueniri?

Causas reddit eodem libro; Sed nimirum maius est hoc quiddam, quam homines opinantur. & pluribus ex artibus, studiisque collectum. Quis enim aliud in maxima diuersitatis multitudinem, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingenis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiæ propositis premiis, esse causâ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim & scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atque ridenda est: & ipsa oratio confirmanda non solum electione, sed etiam constructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscenti, quod omnis vis, ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut sedandis, aut excitandis exprimenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam, facerique, & eruditio libero digna, celeritasque, & breuitas respondendi, & laceffendi, subtili venustate atque vrbani tate coniuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis: neque legum, aut iuris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ vocis conformatione, ac varietate moderanda est: quæ sola per se ipsa quanta sit, histrionum leuis ars, & scena declarat: in qua cum omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elabo-

rent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos aquo animo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria, quæ nisi custos inuenitis, cogitatisque rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si præclarissima fuerint, in oratione peritura? Quamobrem mirari definamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus vniuersis eloquentia conflet, quibus in singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis, & dignitas clara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut præceptis aut magistris, aut exercitationibus, quibus vtuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expectunt, consequi posse confidant. Ac mea quidem sententia, nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi rei omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Ecce enim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ, nisi subest res ab oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet eloquentiam, & pene puerilem. Neque vero ego hoc tantum oneris imponam, nostris præsertim oratoribus, in hac tanta occupatione, & vrbis, ac vitæ, nihil iis vt putem licere nescire. quanquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere, ac polliceri videtur, vt omni de re, quæcunque sit proposita, ab eo ornate, copioseque dicatur.

S. 2. Eloquentia vero in ciuitate tenenda est, quia summam conciliat dignitatem Reipublicæ, præcipue vero colenda est, nobilitati, & principi. Vere Aristoteles ad Alexandrum, ὅς περ δὲ ἐδῆτα σπουδαίῃς τὴν εὐπρεπείαν τὴν τοῖς ἀνθρώποις ἔχειν, οὗτω δύναμιν λόγων λαβὼν ἐστὶ πείρα τῶν τὸν ἐνδεχόμενον. πολὺ γὰρ καλλίων ἐστὶ καὶ βασιλικώτερον τὴν ψυχὴν ἔχειν εὐνομιμονόδοτον, ἢ τὴν ἐξ ἰσθμίου ὁρᾶν εὐσχηματισμένην. καὶ γὰρ ἀποφάν ἐστι, τὸν τοῖς ἱεροῖς πρωτεύοντα, φανερόν τὸν τυγχόντα τοῖς λόγοις ὑπερβαίνοντα, καὶ ταῦτα εἰδὼτα, ἐπὶ τοῖς μὲν ἐν δημοκρατίᾳ πολιτευομένοις, ἀναφορὰ δὲ πάντων τῶν πραγμάτων οἷς τὸν δῆμον ἐστὶ τοῖς ὑπὸ τὴν τῆς βασιλείας ἡγεμονίαν τεταγμένοις, ὥς λόγον. ὅς περ οὖν τὰς αὐτονομίας τῶν πόλεων διορθῶν εἰσάγει τὸ καλλίστον ἄνθρωπον κοινὸς νόμος, οὗτω τὸ ἐπὶ τὴν τῆς βασιλείας καθεστῶτα ἄρχειν δύναται ἂν ὅππότερ συμφορὴν ὁ σὸς λόγος. καὶ γὰρ ὁ νόμος ἐστὶν, ὡς ἀπλὸς εἶπεν, λόγος ὁμοειρημένος καὶ ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μενύων πῶς δὲ πείραται ἐκαστα.

Nam quemadmodum vestium decore, atque magnificentia ceteris hominibus maxime præstare studeas, ita etiam dicendi inuentionem, ac vim eam vt accipias nitendum est, quæ pulcherrima sit, apprimeque præclarissima. Longe enim pulchrius est, ac regale magis, animo esse bene constituto, quam habitum corporis vestibus ornatum pulchris intueri. Absurdum enim est, eum, qui rerum gestarum gloria ceteris antecellat, videri humillimis quibusdam in dicendo cedere: præsertim cum non sis nescius, eos, qui in populari principatu versentur, res omnes ad populum: qui vero sub vnius imperij ductu constituti sint, ad rationem, orationemque referre. Quemadmodum liberae ciuitates communis lex, quæ ad honestissimum aliquem finem ducat, dirigere consueuerit, eodem etiam modo, & oratio tua queat, eos, quos sub imperio tenes, ad id agere, quod conducibile sit, & vtile. Etenim lex (vt ita dixerim) oratio quadam est, quæ communi ciuitatis consensu definita, iubet quo pacto vnumquodque agendum sit.

Sane loqui omnibus hominibus communiter datum est, eloquentia est quæ ostendit doctos, aut doctos videri facit. Dux vitæ est oratio eruditioni iuncta. Et sane post rationē ipsam, nihil dicendū maiestati homini maius dari est; nam qui bene dicit, suauiter & salubriter auditur. Et sane hoc præcipuum est ornamentum, nam vt hominis decus est ingenium, ita ingenii lumen est eloquentia. Afranius interrogatus, quid octoginta, & vno annis didicisset respondit; nihil nisi bene docere, & bene dicere. Totam in eo vitæ non modo dignitatem, sed etiam maiestatem collocans. Vtinā ad Nulla res ad dignitatem plures euehit, quæ eloquentia. Imperatores maiore periculo, oratores maiore labore,

Principi, & nobilitati necessaria eloquentia.

Regis eloquentia pro viribus est.

Orationis dignitas rationi proxima.

bore, Reipublicæ gubernationem adepti sunt; Hoc tamen discrimen est, quod oratores, & bello, & pace, Imperatores tantum bello auctoritatem teneant, pace negligantur. Et sane ipsi imperatores bello clari, vt Vespasianus, Adrianus, Domitianus, Alexander, familiaria oratoribus, atq; immunitatem ab oneribus statuerunt; ita Modestinus in l. si duos. 6. Leo & Anthemius aduocatos, & desertos casarū patronos adiunxerunt. In liberis semper Rebus publicis, vt maior ratio eloquentiæ, ita maius quoq; periculum fuit. Pericles sine armis, tyrannidem tenuit. Cicero l. r. de oratore præclare eam commendat. Neg, vero mihi quicquam, inquit, præstabilis videtur, quam posse dicendo tenere hominum cunctas mentes allicere, voluntates impellere, quo velit: vnde autem velit, deducere. Hac vnare, in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillissq; ciuitatibus, præcipue semper floruit, semperq; dominata est. Quid enim est, aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominū existere vnum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? Aut tam iucundum cognitu, atq; auditu, quam sapientibus sententiis, grauib; verbis ornata oratio, & perpolitā? aut tam potens, tamq; magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus grauitatem, vnius oratione conuertit? Quid tam porro regium, tam liberale, tam municipiū, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel testis ipse esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacebisus?

Vis eloquentiæ.

Dies orationum festi habentur Atheniensibus.

Eloquentia bello vtilis.

Mitor Atheniensium, erga Gorgiam Leontinum magnos affectus, nam dies quibus ille perorauerat *ῥογῆς* appellabant, & orationes ipsas nominabant *ῥαμῆς* & *ῥογῆς*. Primus ille orationem antithesis, membris æqualibus, similiter cadentibus, aliisque schematicis exornauit, itaque soli illi, Delphis statuam auream Græcia posuit.

§. 3. Hac quidem dignitas eloquentiæ est, vis, & efficientia mouendi multo est conspectior. In exemplū Cyneas Pyrrhi orator duci solet, qui plures oratione, quā callidissimus imperator bello cepit vrbes. Verissime dixit Tullius: Extorquet arma ē manibus iratorum ciuium, boni ciuis auctoritas, & oratio. Plures regna, & principatus eloquentia, quam fortitudine bellica sunt adepti. Plures etiam retinuerunt. Cæsari ipse exemplo est. Ille cum miles in patriam auctoratus, esset ferrox, quod eodem scelere inquinati, etiam duci se æquatos iactarent, breui oratione compescuit, atque vt ipsi supplicium de se caperent, effecit.

Stetit aggere fului

Cessitis, intrepidus vultu, meruitque timeri,
Non metuens, atque hac ira distante profatur.
Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas
Miles, habes nudum promptumq; ad vulnera pectus,
Hinc fuge, si belli finis placet ense relicto.
Deregut imbelles animos, nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata inuentus,
Ac ducis inuicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquitte satis;
Inuenient hac arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum classe sequuntur
Hesperia gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulsus tantum que pramia belli
Auferat, & vestri rapta mercede laboris
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos despecta senes, exhaustaque sanguine turba
Cernitis nostros, iam plebs Romana triumphos.
Cæsaris an cursus, vestre sentire putatis
Dammum posse fuge? Veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscuit pelago, subducere fontes,
Non magis ablati vnquam descenderet aquor,
Quam nunc crescit aquis. An vos momenta putatis
Vlla dedisse mihi? Nunquam sic cura deorum

Bellum restaurat eloquentia.

Se premit, vt vestra morti, vestraque saluti
Fata vacent. Procerum motus, hæc cuncta sequuntur.
Humanum paucis viuit genus, orbis Iberi
Horror, & arctos nostro sub nomine miles
Pompeio certe fugeres duce, fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis,
Cum duce prælato, terras, atque aquora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste,
Nec duce me geritis, quisquis mea signa relinquit,
Nec Pompeianis tradit sua partibus arma,
Hic nunquam vult esse meus, sunt ista profecto
Cura castra Deis, qui me committere tantis,
Non nisi mutato voluerunt milite, bellis.
Hæc quantum fortuna humeris iam pondere sessis.
Amolitur onus, sperantes omnia dextræ
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis
Iam certe mihi bella geram: discedite castris,
Tradite nostra viris ignaui signa Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies autoribus arsit,
Non Cæsar, sed pena tenet. procumbite terra,
Insidumque caput, ferendaquetendite colla.
Et tu, quo solo stabunt iam robore castra,
Tyro rudis, specta penas, & disce ferire,
Disce mori: tremuit seua sub voce minantis
Vulgus iners, vnumque caput tam magna iuuentus
Præuatum factura timet, velut ensibus ipsis
Imperet inuito moriturus milite ferrum.
Ipse pauet ne tela sibi, dextræque negentur
Ad scelus hoc Cæsar, vicit patientia saui
Spem ducis, & iugulos, non tantum præstitit enses.
Nil magis assuetas sceleri quam perdere mentes.
Atque perire timer, tam diri fœderis ictu
Parta quies, penaque redit placata iuuentus.

Eloquentia ipsis ensibus imperat.

Est sane magna vis orationis, nec mira videri debet eloquentia Hegeliæ Cyrenaici philosophi, qui de bono mortis, & vitæ malis tam efficaciter disseruit, vt multi manus sibi inferrent, lacus, & præcipitia quærerent. Val. lib. 8. cap. 9. Quantum eloquentia valuisse Hegeliæ Cyrenaicum philosophum arbitramur? quis sic ma-
dram mortis vitæ repræsentabat, vt eorum miseranda imagine, audientium pectoribus inserta, multis voluntaria mortis oppetenda mentibus cupiditatem ingeneraret? Ideoque à Rege Ptolemao vlciteris imprefu. hac de re differere prohibitum est.

Hinc & Herculis Gallicani fabulæ, & ad citharam structæ Thebæ, arbores, feræq; ductæ, & inferi pacati natrantur, ob hanc causam. Nō minus ad prouidentiam principis pertinet, bene dicendi, quam recte faciendi disciplina. Nam cum infinita sit multitudo, Non re o-
quæ principem interpellat, cum multi de illo optime
sint meriti, non potest omnibus re ipsa satis facere, i-
test, itaque
taq; benignis verbis opus est, vt erigat, ac sustentet; verbo mul-
tis enim verborum honorifica prolixitas gratior
est, quam beneficia, quæ principes parum gnari elo-
quentiæ verborum asperitate, & supercilio in odium
adducunt: Tanta sæpe superbia, vt impetrasse præ-
niteat. Nam ingratum est beneficium, cum odiosa oratione datum.

Verbis facundis, ira, consternatio, arma cedunt. Erudita enim eloquentia, & reges, quo vult ducit, & populos trahit. Regibus exactis, inquit, Val. l. 8. c. 9. plebs
disfidens à patribus, iuxta ripam fluminis Anienis in colle, qui arma ca-
sacer appellatur, armata consedit. Eratque non solum desor-
dunt.
mis, sed etiam miserrimus Reipub. status: à capite eius, cetera
parte corporis pestifera seditione diuisa. Ac ni Valerij subue-
nisset eloquentia, spes tanti imperij, in ipso pene ortu suo cor-
ruiisset. Is namque populum noua, & insolita libertate temere
gaudentem, oratione ad meliora, & saniora consilia reuoca-
tum, senatus subiecit, id est, vrbem vrbi iunxit; Verbis ergo
facundis, ira, consternatio, & arma cesserunt.

Ex Græcia deinde nō dissimile exemplum producit. Pericles autem felicissimis naturæ incrementis, sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitus, & instructus, liberis

Athena-

Pericles eloquentia sua Athenas sibi seruire coegit.

Athenarum cervicibus, iugum servitutis imposuit: Egit enim ille urbem, & versavit arbitrio suo. Cumq; adversus voluntatem populi loqueretur, incunda nihilominus, & popularis eius vox erat. Itaq; veteris comediae maledica lingua, quamvis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris eius hominis melle dulciorem leporem faciebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinqui praedicabat. Fertur quidam, cum admodum senex prima concioni Periclis adolescentuli interesset, idemq; iuuenis Pissistratū iam decrepitum concionantem audisset, non temperasse sibi quo minus exclamaret, caueri illum ciuem oportere, quod Pissistrati orationi simillima eius esset oratio: Nec hominem aut estimatio eloquij, aut morum augurium fessellit. Quid enim inter Pissistratum, & Periclem interfuit? nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit?

Eloquentia tyrannis laudatur.

De Constantino quoque tradit Victor; eum quod aut vix, aut multo sanguine obtinendum erat, eloquentia patrauisse.

Nō sine discrimine sunt eloquentia studiis imbutendi.

§. 4. Verum duo consideranda sunt principia. Primum, ut diligenter animaduertat, ne eloquentia excolantur homines improbi. Deinde ut eloquentia sit suae Reipublicae accommodata.

Primum necessarium est, nam fere eloquentia potentia sequitur. Curiones, Alcibiades, & ceteri id genus arcendi sunt, ne contra Rempublicam armentur.

Eloquentia conueniens sit moribus.

Alterū est, ut eloquentia non existimetur vera, nisi quae moribus populi accommodata est. Asiaticus orator, si Sparta pigmenta verborū, & luxuriam adferat, id aget, ut cum ratione infamiat. Illis enim flumina verborum grata non sunt. Samii a Polycrate tyranno oppressi, cum supplices Lacedaemonios pro auxilio adissent, & calamitates suas longa oratione exposuissent; responderunt illi, sane in aliena calamitate superbi, priora se non meminisse, posteriora idcirco non intellexisse; tum Samii ut ostenderent se quoq; posse *λακωνίζειν*, prolato panario, dixerunt; illud pane egere: & Lacedaemoniis, super futuros dixerunt panes; atq; ita tum illis auxilium decretum, ac datum est. Cum enim finis orationis sit, ut mentem alteri explices, atque illi, quod vis persuadeas, non est vtendum oratione, a qua alter alienus est. Optime dicit, qui accommodate non modo ad artem, sed audientium animos dicit, haec enim summa aī existimatur. Omnia eloquentia tribuit calamitosa, sed tamen regia femina.

Summi in rebus humanis persuadere alteri, quod velis.

Τὸ δῶτα ἔνκετὶ τ' ἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθόμεν, ὡς χεὶ πέντε, καὶ μακρομένον;
Περὶ δὲ τὴν τέρψινον ἀνθρώποις μένιν,
Ὅουλέν τι μᾶλλον ἐς τέλος ἀσπάζεσθον,
Μετ' ἔς δὲ δόντες μανθάνειν. ἢ ἥ ποτε
Πείθειν ἢ πρὸς βέλτοισι, τογχαίνειν δ' ἄμα.

Qui tandem mortales aliis in disciplinis laboramus, & ut conuenit, inquirimus. Pitho seu suadam non potius sectamur, quae regina est hominum, mercedem dantes, ut quod quispiam vult suadere possit, & assequi.

Breuitas penetrat, copia rursus animum.

Si igitur auditor breuitatis est studiosus, breuiter persuadebis. Demetrius Phalereus concisa putat vehementius penetrare, & breuitatem conuenire imperantibus. Breuia illa sunt Spartanorum, ad Argiuos: αἶμα, si ad Philippum; Διονύσιος καλὸν θῆναι, quin & leges eadem breuitate scriptas habebant. vere Charilaus: ὅτι ὁλίγα λέγειν, ὁλίγων, καὶ νόμων ὅτι χεῖρα. Cum paucis loquantur, paucis quoq; legibus egent. Verum ea tanta breuitate vix vtendum censeo; nam cōtemptum magnum indicat, & in varias sententias trahi potest. Certe beneuolum, vnica sententiola nō facile efficies, magna tamen, & aeternum duratura odia colliges, si velut acuto telo, intima fodias; profunda enim, & parua vulnera, vix curari possunt. Phocionis breuitas est vetustis laudata, cui cum quidam diceret σκεπτόμενος τοιαύτης φωνῆς, intente speculanti similis es δ Phocion, respondit: Difficere quid eximere ab illis posset, quae apud Athenienses di-

cturus esset. Optime sane quae sine causa praeiudicio eximere posset, considerabat, alioqui esset breuitas inordinata, & noxia. Nam qui omittit illa, quae dicenda sunt, prauaricatur, & ille quoq; reum prodit, qui illa quae sunt inculcanda, infigenda, repetenda, cursim attingit. Qui vero peregrina, exotica, obscura inculcat, non ille ad persuadendum dicit, nec credi sibi vult, sed doctus videtur.

Breuitas ita tenenda est in oratione, ne vires minuantur.

CAPVT XXI.

Ratio, & methodus discendae eloquentiae.

§. 1. NON est mihi propositum Rhetoricen scribere, id multi, & docti, imprimis Tullius; & ante cum Aristoteles fecerunt: Verū quia principem instruo, qui oratores iuuentuti suae praeficiet, breuem praxin, pulcherrimae scientiae docendae proponam, Supra enim protestatus sum, nihil esse Academicis pestilentius, quam si cuiq; ius sit suo arbitrio docendi: nam multis deest prudentia ordinis cōstituendi, pluribus laboris amor, & pleriq; cōstantia, sensim enim elanguescunt. Proponam itaq; leges, quas Rhetorices professori nostra Societas praecribit; tum vt illis respondeam, qui nostram docendi methodum ignorantis reprehendunt: tum vero, ut causam demonstrationis, qua id efficiatur, ut ex scholis Societatis tot eloquentia insignes procedant. Sic itaque regulae professoris habent:

Gradus huius scholae, non facile certis quibusdam terminis definiri potest: ad perfectam enim eloquentiam informat, quae in duas facultates maximas, Oratoriam, & Poeticam comprehendit (ex his autē duabus, prima semper partes Oratoriae tribuantur) nec vtilitati solum, sed etiam ornatui indulget.

Methodus docendae eloquentiae in Societate Iesu.

Latissime sane patet eloquentia, ut praecedenti capite demonstraui: nec omnino perfecta est, sine aliarum cognitione scientiarum. Verum ita instruendi sunt adolescentes, ut communia praeccepta, & exercitationem styli, ad alias scientias, quibus operam daturi sunt, conferre possint. Primae orationi solutae tribuuntur, quia eius est praecipuus vsus in Republica, & necessitas.

Quid in Rhetorica doceatur.

Praecepta eloquentiae, & exercitatio orationis omnibus scientiis.

§. 2. Nec tamen poesis omnino negligenda etiam mediocribus ingeniis. Primo enim perfectiorem linguam latinam, & Graecae cognitionem cōfert; nam poetas, quasi alia loquuntur lingua. Deinde, nihil aequale vtile est ad orationis vbertatem, & elegantiam, propter leges enim carminis, verborum, sententiarū, schematum varietas excogitatur. Nihil autē aequale in adolescentibus laudandum, quam orationis copia, & quaedam velut luxuries, cum enim nondum sit matura sapientia, quae omnia nimium fluentia refecet, ac coercet, debet tamen esse, quod olim maturior censura tollat. Vitis quae prodige luxuriat, putationibus fecundatur, quae superuacaneos palmites nō protrudit, ante autumnum exarescit. Pestime itaq; ingeniis consulunt professores, qui epigramatis acutis, & sententiis exercent eos, qui nondum illa capiunt. Tam enim ingenia coarctant, quam illi, qui crescentia corpora minoribus, quam pro mensura vestibus includunt. Lata, & ex vsu materia detur, describant sylvas, maria, pugnas, & omnium poetarum communes lusus, ortum, & occasum. Tertia carminis vtilitas, ut vsu, syllabarū tempora perdificant. Vidi sane viros doctos, qui non modo pronunciarē, & legere non audebant, sed neq; legendis poetis, de quantitate syllabarū constituere poterant. Hac res tanta est, ut libertatem non modo perorandi, sed etiā priuatim loquendi. Semper enim timor erradi imminet: qui anxio metu sermonē opprimit. Haec igitur stricta Rhetorica alterā admirabiliter adiuvat, vberē reddit, & exornat, ut libere loqui, & legere audeat, efficit. Denique numeros etiam oratio sibi deposcit, sed poeticos fere refugit, de quibus iudicare, nō nisi eruditus potest. Cicero sane in carmine pluri-

Omnes poesi commoda dare operā possunt.

Orationis vbertas inueniuntur.

Argutis eloquentia nō docenda.

Poetas ignorantia non permittit libere loqui quēntiam.

Poesis Ciceroiana eloquentia serui.